Q. V. B.

DISSERTATIO POLITICA
DE
JURE PRIMOGENITI,

Quam
BENEVOLO INDULTU
Incluti Senatus Philosophici in Almâ Lipsiensi
PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO EXCELLENTISSIMOQ.
DN. M. JACOBO THOMASIO,
Dial. Philipp. Prof. P. celeberrimo, Præceptore
suo jugiter colendo,
publicè discutiendam proposuit
Ad D. 17. Januar.
A. O. R. M. DC. LVII.
JOH. CHRISTIANUS Schindler/
Z. L.

Recusa LIPSIÆ,
Typis JOH. ERICI HAHNII,
Anno M. DC. LXXII.



T

C

ad

ac

cat

rer

cler

Hif

qvib

non r

Prim

idqve

ne ap

fibi ne

Torrtu

a)

I. N. D. N. J. C.

I.

ANTELOQVIUM.

DIvino planè auxilio, qvo solo ad omnia consilia actusqve omnes feliciter progredimur, ex nobilissimâ pariter ac jucundissimâ Philosophiæ parte *Politicâ*, animus fert, ad periclitandum vires ingenii, argumentum eligere. Ad qvod instítutum amplam satis cùm præberet materiam *Andreas Tiraqvellus*, multijugæ scriptor lectionis; arripere eam, atqve ejusdem Tractatum, qvem post Martinum Laudensem, Jo. Lupum & Jo. Ciriernm de *Jure Primigeniorum* inscripsit, perlustrare, & indè, qvæ ad præsens negotium facerent, (missis scil. JCtorum controversiis ac decretis,) excerpere, nec non præcipuorum habito delectu, vocatisqve in subsidium aliis qvoqve, pro modulo tamen nostro, digerere lubitum fuit. Ipsam *Dissertationis Politicam* partem, qvasi nucleum, duabus partibus aliis, qvarum anterior *Grammatica* sit, *Historica* posterior, circumdabimus. Jam, utcunqve res cadat, ἐῤῥίφθω κύβος! Nos in arenam alacres!

PARS GRAMMATICA.

II. Nominis ante omnia natales inqvirere, svadet ratio. In qvibus tamen adeò rigorosos atqve anxios esse facilitas vocabuli non reqvirit. Cuilibet fere ὀφθαλμοφανερῶς apparet, vocem *Primogenitus* compositam à nomine *primus* & participio *genitus*. *Primogeniti Etymologia;*

III. Eam Valla & Tiraqvellus *a*) negant satis latinam esse, idqve moti duplici causâ: (1) Qvòd voces simplices in compositione apud Latinos non per O. vocalem, ut apud Græcos, sed per I. sibi nectantur. Qvemadmodùm enim Græci dicunt *Theologus*, *Discophorus*, *Sarcophagus*, &c. ita Latini *auricomus*, *lapicida*, *primipilus*, *unigenitus*, &c. dicere sveverunt. *Primigenitum* ergò dici potiùs debuisse, qvæ vox & in monumento antiqvo Veronensi apud Torellum Saraynam reperiatur: CRESCENS SIBI ET AUFI- *Latinitas;*

 LENÆ

a) Præf. Comment. de Jure Primig. n. I.

LENÆ PRIMIGENITÆ LIB. (2) Qvòd hujusmodi composita non gaudeant participiis, ut *Phœbigena*, non *Phœbigenitus*: *alienigena*, non *alienigenitus*: *indigena*, non *indigenitus*. Unde colligunt, dicendum potiùs Primigena, vel Primigenius etiam, qvàm Primogenitus.

IV. Verùm his rationibus non movemur, ut vocem Primogeniti, qvippe consvetudine tàm diuturnâ roboratam, exterminemus prorsus. Non provocabimus ad locum Plinianum *b*); nam ibi pro *primogenitis* alii codices habent *primis genitis* *c*). Defendi illa vel sic poterit, si dicamus, eam ex duabus integris conflatam esse, sicut *benedicere*, *maleferiatus*, & similia.

Homonymia. V. Ambigua prætereà vox est Primogenitus, & sumitur multis modis. Vel enim (1) pro filio qvovis in *primo gradu*, qvatenus contradistingvitur à secundogenito eo, qvi habetur pro *nepote* *d*), vel (2) pro eo, qvi simul etiam *unigenitus* appellari meretur; talis scilicet, qvi primus ita est natus, ut cum nullus seqvatur. Qvo sensu Salvator noster OPT. MAX. πρωτότοκος seu primogenitus Mariæ vocatur *e*), etiamsi fratrem nunqvam habuerit. Qvod non intelligens Helvidius, in errorem lapsus est, ut crederet Mariam τὴν θεοτόκον post Christum alios insuper peperisse; prolixo & accurato scripto *f*) à D. Hieronymo refutatus.

VI. Nos verò hîc Primogeniti vocem (1) *relativè* accipimus pro eo, cui secundogeniti fratres sive unus sive plures opponuntur: & qvidem (2) in qvantum illi lege gentium præ reliqvis fratribus competit aliqvod in successione jus vel privilegium. Et hoc etiam in voce *primus*, si vim ejus penitùs inspiciamus, latere, nemini non apparet.

VII. Sicuti similiter (3) è voce genitus eruendum est, qvòd h. l. genitum vocemus eum, non qvi prior *conceptus*, sed qvi prior *natus* est; & qvidem non cujus una tantùm aut altera pars corporis, sed qvi *totus* in lucem prior est prognatus: Ita comprehendimus sub illâ voce etiam *cæsos* ex utero, qvalem Eduardum VI. Angliæ Regem ætas tulit superior.

Synonymia. VIII. Cæterùm de Synonymicâ aliqva voce non multum erimus laboriosi. Tiraqvellus usus vocabulo *Primigenius*, dum Com-

b) Lib. XI. c. 48. *c*) Tiraq. præf. n. 44. *d*) Tiraq. q. 1 n. 7. *e*) Matth. 1. v. ult. *f*) Cujus initium: *Nuper rogatus*. Tom. III. Oper. Hier. fol. 2.

Commentarium suum de Jure *Primigeniorum* inscripsit. *Primigenius* qvoq; latina vox est, Poëtis tamen aptior qvàm Oratoribus. Adhibuit eam Lucretius in his *g)*:

Multaq; post mundi tempus genitale diemq;
Primigenum maris & terræ.

Græcis primogenitus non solùm πρωτόγονος, sed etiam πρωτότοκος vocatur: qvo vocabulo LXX. Interpretes pro primogenito passim utuntur.

IX. Reperiuntur tamen nonnulli, qvi hæc duo vocabula πρωτότοκος & πρωτόγονος differre statuant. Illum enim dici respectu matris, qvem scil. mater primum omnium peperit; hunc verò respectu patris, veluti ab eo primùm genitum *b*).

X. *Major* qvoq; idem alicubi significat qvod Primogenitus *i*). Unde Hispani ex eâdem significatione jus Primogenituræ Majoriam & Majoratum & Majoricatum dixêre *k*).

XI. Ipsum *Jus Primogenituræ* (Græcis τὰ πρωτοτόκια seu πρωτοτόκεια, item πρεσβεῖα, Tiraqvello *l) primigenia*, Hugoni Grotio *m) jus primi nati*,) vocamus Prærogativam illam, qvâ in hæreditatibus lege gentium passim gaudent præ fratribus suis primogeniti.

PARS POLITICA.

XII. Et hæc sunt, qvæ ad partem primam dicere voluimus. Seqvitur, ut ad alteram, *Politicam* scilicet, gradum promoveamus. Ubi fontes juris primogenituræ recludendi, & ante omnia inqvirendum est: an privilegium seu prærogativa, qvâ fruuntur primogeniti circa hæreditatem vel successionem paternam, adversetur juri naturæ? *Jus primogenitura*

XIII. Adversari eam putet aliqvis ex eo, qvia jus naturæ *æqvalibus æqvalia* vult tribui. Sicut ergò liberi ejusdem patris omnes ratione *filiationis* æqvales sunt inter se: ita & in *successione*, cujus fundamentum est filiatio, exæqvandi sibi videntur. *adversari juri naturæ contendentibus*

XIV. Et qvis nescit, hoc ita passim, qvasi docente naturâ, observari, ut parentes liberis suis bona æqvaliter partienda relinqvant, obseqventes scil. illi vulgari: *Non debet pater unum ex filiis facere filium, & alium privignum n*).

 XV.

g) lib. II. prope fin. p. m. 275. *h*) Tiraq præf. n. 2. ex August in. lib. IV. Gen. q. 23. *i*) Id. q. 1. n. 12. *k*) Ib. n. 14. *l*) præf. n. 2. *m*) lib. II. de J. B. & P. c. 7. §. 25. *n*) Tiraq. q. 4. n. 2.

XV. Fatetur & Tiraqvellus *o)*, prælationem primogeniti esse contra jus commune, sive jus prætorium respicias, sive etiam jus civile. Atqve is porrò in seqventibus docet, æqvalitatem illam, & fugam inæqvalitatis sæpè esse interpretibus juris pro mensura decidendarum inter fratres controversiarum, & corrigendorum nonnunqvam testamentorum. Qvin & dura qvædam nonnullorum de jure primogeniti pronunciata profert *p)*.

XVI. Qvod si maximè patrimonii portio qvædam eximia uni ex omnibus arroganda veniat: iniqvum tamen videatur, fortunæ hanc rem seu sorti nascendi, non virtuti committi.

contradicitur. XVII. Nihilominùs rectè negatur qvæstio cum Tiraqvello, & ab eo copiosè *q)* citatis. Assumimus primo: *ipsa alimenta solum, non etiam reliqva qvæ ex successionibus proveniunt, esse de jure naturæ.* Id qvod non modò Tiraqvellus *r)* è Baldo disertè profert; sed & H. Grotius *s)* haud obscurè comprobat, dum ait: *Nec aliter capiendum, qvod dici solet, legitimam humanis legibus tolli non posse, qvatenus scilicet in legitimâ insunt alimenta necessaria. Nam qvod supra est, tolli potest non repugnante naturâ.*

XVIII. Favet huic asserto ratio: Si qvis enim in bonis suis plura habeat, qvàm unde se cum familiâ alere possit, haud dubium est, superflua illa fieri posse materiam liberalitatis. Igitur si de illis, lege naturæ non vetante, potest aliqvid conferri externo, qvod ille sive ante sive post mortem benefactoris accipiat: qvanto magis uni alicui ex filiis?

XIX Hinc intelligitur, salvâ æqvitate naturali posse primogenito præcipuum qvid ex hæreditate paternâ attribui, modo reliqvis fratribus alimenta ne abscindantur. Unde & statuitur, teneri primogenitum, qvi scil. privilegio suo fratres a successione submovet, præstare submotis alimenta, aut alia bona illis assignare, qvibus possint honestam vitam ducere habitâ personarum & facultatum ratione *t)*, licet ejus rei consvetudo (vel alia causa privilegium introducens) nullam omnino faciat mentionem.

& respondetur. XX. Potest jam ex hoc fundamento responderi qvodammodò ad

o) q. 4 n. [illegible] *p)* [illegible] Arumaeum l. de Rep. 9. [illegible] legi possunt. *q)* [illegible] *r)* [illegible] *s)* [illegible] & P. [illegible] §. 1. *t)* Tiraq. q. 4 n. [illegible] de [illegible] Bald. [illegible] 400. Grot. [illegible] II. de Jure B. c. 7. § 13. A[illegible] l. [illegible] 229.

ad objectionem initiò positam de æqvalitate fratrum ratione filiationis. Est enim filiatio fundamentum successionis in bona defuncti non simpliciter, sed tantùm qvatenus in illis bonis latet *alimentatio* filiis naturaliter debita.

XXI. Hanc præter qvæ adsunt, in ea succedendi facultatem non præstat præcisè conjunctio filialis, sed aliqvid hâc conjunctione diffusius, qvod interdum voluntate possidentis determinatur: aliàs nemo cuiqvam, nisi sit illi filius, succedere posset. Atq; ex hoc qvid vetat accedere aliqvid sive per testamentum, sive per legem universalem primogenito, imò filiorum cuilibet, qvod ipsi fratres reliqvos ponat inæqvales circa bona alimentationem excedentia? qvippe de qvibus lex naturæ nihil determinans, arbitrio hominis disponendi reliqvit materiam. Sed qvoniam primogen iteitiam ab intestato succedunt in præcipua hæreditatis, ex altiori adhuc principio repetenda res est.

XXII. Regula qvæ æqvalia dictat æqvalibus tribuenda, præsupponit tacitè, rem tribuendam in partes esse *divisibilem* Itaq; in iis, qvæ *dividi non possunt*, regula perperam allegatur: ut si eandem puellam, aut functionem plures ambiant æqvè digni, qvâ tamen potiri nonnisi unus possit.

XXIII. Jam in hoc genere *indivisibilium* rerum habentur & hæreditaria qvædam bona, qvalia sunt imperium successivum Monarchicum, feuda qvædam (non omnia) dignitatum, & ipsa hæreditaria dignitas, & si qva his sunt similia. Qvibus indivisibilitatem sive natura induxerit sua, sive lex positiva aut consvetudo, nihil refert. Sed qvænam illa sint sigillatim, ex cujusq; Reipubl. statutis ac moribus petendum est præcipuè.

XXIV. Positâ ergò partis alicujus in patrimonio indivisibilitate, necesse est, atq; adeò legi naturæ non repugnat: ut à filiis, qvi aliàs æqvaliter in bona divisibilia succedere possunt, uni soli partem indivisibilem, (si unica illa sit: nam si plures ejusdem generis, ipsa copia divisionem suppeditat;) reliqvi cedant omnes. Et hæc inæqvalitas (si modò sic appellanda est) utilitati publicæ, ut qvæ legem de non dividendo svasit, condonanda veniet omninò. Nam & aliàs sæpè u) contingit, ut qvis sine culpâ suâ jure suo privetur, sed non sine causâ.

XXV.

u) Tiraq. q. 4. n. 36.

Cur primogenitus cæteris præfegatur: rationes duæ

XXV. Sed cur Primogenituræ habita hîc fuit ratio? Duas allegat causas Tiraqvellus *w)*: unam, qvia primogenitus prudentiùs præsumitur regnum administraturus: alteram, qvia natura comparatum est, ut majores natu imperent, juniores subsint. Sed hæ causæ pectus non exsaturant; sanè non nisi in secundariis haberi merentur.

leves.

XXVI. Prius enim illud, etiam ab Arnisæo *x)* rejectum, valdè dubium est, nec raro fallax: qvin & cessante illa præsumtione nihilominùs salvum est jus suum primogenito. Posterius vero parum stringit. Nam præferri alteri in successione non necessariò importat imperium in illum. Qvòd in regno primogenitus succedendo simul in fratres potestatem qvandoq; adipiscitur, ex accidenti est.

aliæ duæ graviores.

XXVII. Pro causis igitur levioris ponderis graviores alias ac veriores afferemus duas, unde pateat, cur ætati delata sit hæc prærogativa, ac non placuerit potiùs, qvicqvid sit de ætate, jus succedendi dare dignissimo. *Primò* enim de dignitate lites, eæq; exitiales freqventer oriuntur: de primogenitura aut nullæ sunt prorsus, aut rarissimæ, ut vix ab omni seculorum memoriâ duæ ternævè memorentur. *Deinde* non in electionis, sed successionis materiâ versamur, ubi jus acqviritur nascendo, non merendo. Æqvum ergò, ut, qvoniam qvò major qvisq; est natu, eò diutiùs eo est jure gavisus, valeat illud: *Qvi prior tempore, potior jure.*

Primogeniti sexus;

XXIIX. Non diffitemur tamen habitam hîc fuisse aliqvam dignitatis rationem, sed ejus, qvæ minimè litibus opportuna à sexu masculo est, & cum ipsa protinùs nativitate conjungitur. Huic enim successio in regnum individuum alibi nunqvam, alibi non nisi deficientibus masculis ad fœminas pertinet. Si verum est qvosdam populos solis fœminis *y)* imperium commisisse, non dubitamus indicam scribere stoliditatis.

legitimi natales.

XXIX. Sicuti & arbitramur, à lege naturæ discedi apud illas gentes, qvæ aut nullo aut parvo in discrimine habent, legitimo partu an illegitimo editus sit primogenitus. Vult enim natura suam servari matrimonio dignitatem. Itaq; legi ejus melius satisfaciunt, qvi jus primogeniti ad nothos non extensum solis conservant legitimis.

Prærogativa ejus est juris gentium.

XXX. Hoc interim certum est, in regnis individuis successivis primogenitum, nullo dignitatis moralis respectu, passim cæteris præferri. Unde cœpit hoc privilegium pro *legitimâ* qvâdam, ut sæpiu-

---

w) q. 4. n. 31. *x)* l. Pol. c. 9. p. 218. *y)* Tiraq. q. 10. n. 4. seqq.

piculè vocat Tiraqvellus *z*), primogeniti haberi. Nec dubitavit Herodotus *a*) ſcribere: *Νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν.* Qvem ejus locum poſt Tiraqvellum *b*) & Hugo Grotius *c*) annotavit, cujus diligentia plura in hanc rem congeſſit ſcriptorum teſtimonia, qvibus declaretur, *τὰ πρωτεῖα* primogeniti *juris* eſſe *gentium*.

XXXI. Id verò de eo *gentium jure* capiendum eſt, non qvod gentis cum gente commercium tangit, ſed qvod gens qvælibet extra illud commercium intra ſe manens uſurpat. Itaq; nec obligat gentem genti ex conſenſu mutuo, ſed civem civi ex voluntate ejus vel eorum, qvi ferendi leges habent poteſtatem. *qvo ſenſu?*

XXXII. Qvare ad jus Primogenituræ, qvod in Hebræâ gente ſancivit DEUS, non ſimpliciter alligantur populi alii, qvippe qvod non ad moralem legem, ſed forenſem ſpectaverit. Recteq; nobis ſtatuere videtur Tiraqvellus *d*), *jus primogenituræ non ita eſſe de lege divinâ, qvin poſſit tolli per leges Principum.*

XXXIII. Intellige Principum, qvatenus legem ferendi habent poteſtatem, non in qvantum ipſi forte legi ſuæ gentis aut principatûs univerſali ac fundamentali obligantur. Nam aliàs primogenito jus ſuum, ſi illud vi legis publicæ, qvæ ipſum liget parentem, obtineat, ne à parente qvidem eripi, & in alium filiorum transferri poteſt: ſicut & in populo ſuo DEUS *e*) expreſsâ lege ordinaverat. Et ſub hâc conditione capiendum eſt, qvòd ſtatuunt, patrem *f*) non poſſe teſtamento præferre alium primogenito.

XXXIV. Secus enim eſt, ſi pater regnum *pleno modo* poſſideat, & habeat *in patrimonio*, ut loqvitur Grotius *g*), qvale alibi ab eo *h*) *alienabile* vocatur. Nam hîc locum, ut exhæredatio, ita & ademtio *τῶν πρωτείων* habebit.

XXXV. Qvalis autem illa ſit culpa, qvæ primogenitum exſortem ſui juris facere poſſit, indagare huc non ſpectat; cùm ea res *i*) non magis reſpiciat jus primogenituræ, qvàm legitimam, aut aliud qvodvis hæreditarium. *Eam ipſe*

z) q.5.n.3. q.21.n.3. q.23.n.11. q.84.n.9. *a*) Polymn. *b*) præf. n.95. *c*) lib. II. de J.B.c.7. §.13. *d*) q. 22. n.2. *e*) Devt. XXI. v.16. adde locum Joſephi parallelum ap. Tiraq. q 21 n.6. *f*) Dan. Otto c. XVII. de J P. p.m.399. Choppin. lib.II. de Doman. Franc. tit.2.n.10. conf. Tiraq. q.21. *g*) lib. II. de J. B.c. 7. §.12. *h*) §. 25 d. l. *i*) Tiraq. 21. n. 12.

non amittit culpâ naturæ aut casus.

XXXVI. Saltem hoc dicemus, culpam, qvæ non est primogeniti, sed *naturæ*, aut *casûs* (puta si claudus, cæcus, lusus in qvo referimus &, si patri ante adeptum regnum natus sit,) communiter ipsi non obesse, nisi diversum forte lex gentis propria posuerit.

nec impotentiâ gubernandi.

XXXVII. Ac ne qvidem si regnum ipse sive *nondum*, ex ætate, sive *nunqvam*, ex naturæ vitio administrare qveat. Qvem in casum tutorem ipsi vel curatorem dari, non adimi privilegium, gentibus placuit.

XXXIIX. Qvarum rerum ratio est è præcedentibus in aperto, qvia privilegium illud datum fuit primogenitis primatûs, non dignitatis ipsorum aut donorum naturalium, præter sexum & legitimorum naturalium decus, sed tantum natalium primorum contemplatione.

In locum primogeniti qvis succedat?

XXXIX. Qvæ disputata sunt hactenus de primogenito ad eum qvoq; conseqventer pertinent, qvem, licet verè primogenitus non sit, e morte tamen primogeniti successorem illi dat propinqvitas. Atqve is est haud dubiè frater proximè seqvens, si primogenitus *ἄπαις* devixerit; filius, si qvem habet, modò regnum ipse possederit. Hæc igitur, inqvam, dubitatione carent. At si primogenitus relicto filio ante patrem moriatur mortuo postea patri avo primogenito nepos, an filius secundogenitus succedere debeat, gravissimè disceptari meminimus.

XL. Hæc qvæstio, ut & aliæ ad successionem in jus primogenituræ pertinentes, qvarum est ingens cumulus, ex ipsis successionum generibus, accuratè ab summo Viro H. Grotio *k)* exposita, interdum &, ubi hæc ratio rem relinqvit in ancipiti, ex aliis circumstantiis decidenda est. Qvin & hanc dubitationem speciali lege, qvæ seqvenda est omninò, Respublicæ qvædam amputant. Nobis verò ad hujusmodi singularia descendere non erat propositum, ac sufficit locum in Grotio demonstrasse, è qvo defectus hic suppleri qveat. Pari modo & qvæstiones, qvæ dijudicationem ab Jure civili expectant, Dominis JCtis lubentes permittimus.

PARS HISTORICA.

Jus primogenituræ

XLI. Juvat jam, qvæ in parte Politicâ diximus, illustrare exemplis. Ac initiò commemoratione gentium præcipuarum ostendatur, qvantas hoc jus in orbe terrarum radices egerit.

XLII.

k) lib. II. de J. B. c. 7 §. 9 seqq.

XLII. Qvis enim nescit in *Galliâ l)*, *Hispaniâ*, *Scotiâ Angliâ*, *Ungaria*, *Dania m)*, *Apulia*, *Sicilia*, & maximâ parte *Italiæ* primogenitos in successione præterri, aut prælatos fuisse? Et apud *Græcos* idem observatum fuisse, testantur Historici. De *Lacedæmoniis* Herodotus *n)*, Nepos Cornelius, & Plutarchus *o)*, De *Atheniensibus* Pausanias *p)*, De *Rhodiis* Diodorus Siculus *q)*, De *Macedonibus* Livius *r)* & Justinus *s)*, prodidére *t)*. ubi Saxicas

XLIII. De *Ægyptiis* locus Exodi *u)* rem persvadet. Nec apud *Persas w)* id fuisse neglectum apparet ex Platone *x)*, Plutarcho *y)* & Justino *z)*. Apud qvos etiam illud receptum fuit, ut non tantum Rex, sed filius qvoqve ejus natu maximus ex aqvâ, qvam auream vocabant, potaret, cum cæteris esset hoc capitale, referente Athenæo *α)*. De *Parthis* Justinus *β)* videri poterit.

XLIV. Specialiter apud *Judæos*, (ut de populo, qvem DEUS olim in peculium sibi elegit, aliqvid dicamus,) is qvi natu erat maximus, omnia duplicia *γ)* habebat. Idem sacerdotali veste pretiosâ atq; odoriferâ indutus ante legem à Moyse datam, victimas DEO offerebat, fratribusqve in solennitatibus & conviviis benedicere solebat *δ)*.

XLV. In *Germania* nostrâ inveteratum jus esse majoratûs, maximè inter illustres familias neminem latet; ubi olim postgenitos ad differentiam primogeniti *Domnicellos* sive Junckern salutatos fuisse annales produnt *ε)*.

XLVI. A generalibus ad specialia qvædam primogenitorum adjuncta progredimur. Eqvidem, ut primogenitus esset *legitimè natus*, non omni tempore, non ab omni populo reqvisitum fuit. Apud *Tartaros* nothi & legitimi pares teste Grotio *ζ)*, qvi & exempla habet qvorundam è nothis Regum, qvibus è Choppino *η)*, Tiraqvello *θ)* & Cornelio Agrippa *ι)* alii adjici qveant. *legitimè natu concessum:*

 XLVII.

l) Tiraq. præf. n. 3. seqq. *m)* Schönb. II. Polit. 9. *n)* in Terps. & Polymn. *o)* uterq; in vita Agesil. *p)* in Atticis *q)* VI. Bibliothec. c. 13. *r)* Decad. IV. lib. 10. *s)* lib. VII. *t)* vid. Tiraq. præfat. n. 25. 26. 27. *u)* c. XI. v. 5. Tiraq præf. n. 22. *w)* Id. ib. n. 29. Brisson. J. Pers. p. 4. *x)* Alcib. I. *y)* in vit. Artax. *z)* lib II. *α)* Tiraq. præf. n. 30. Brisson. J. Pers. p. 61. *β)* Arnis. I. Polit. 9. p. 215. ap. qvem plura. *γ)* Deut. XXI. Joseph. Ant. lib. IV. c. 6. *δ)* Tiraq. præf. n. 12. 17. 18. *ε)* Spreng. Bon. Princ. Axio. 13. p. 80. è Cyr. Spangenb. *ζ)* not. ad lib. II. de J. B. c. 7. §. 12. *η)* lib. 1. de Doman. Franc. tit. 11. n. 10. *θ)* c. XV. de Nobil. n. 21. *ι)* c. 63. de van. sc.

XLVII. Sed sanctiores nobis populi, qvibus sanctior matrimonii reverentia. Et si Petro Gregorio κ) credimus, comprobavit experientia, exæqvationem spuriorum cum legitimis in regni partitione & successione, infelicem fuisse.

XLVIII. Apud *Hebræos* Jephten fratres legitimi arcebant ab hæreditate λ). De *Persis* Herodotus μ): νοθον ἐ σφι νόμ[illegible] βασιλεῦσαι, γνησίȣ παρέοντος. Pausanias ν) tamen Darium nothum Isogæo Artaxerxis Longimani justo filio in regno capessendo populi consensu antepositum memorat. Apud Phryges nullus ex regiâ agnatione dicebatur, nisi qvem ex legitima uxore vir sustulisset ξ).

XLIX. Romanorum qvoq; legibus naturalis non succedit, nisi in bonis maternis, & cum hac qvidem exceptione, nisi persona sit illustris ο). Itaq; gravissimè contra eos dissentiunt Pet. Gregorius π), Tiraqvellus ϱ), Hippol. à Collibus σ), Arnisæus τ), Dan. Otto υ), alii. In *Gallia* etsi sub Merovingis & Carolovingis locum habuerunt nothi, meliori tamen posteà gentilium Capeti lege filiis Regum, qvi non essent justo qvæsiti connubio, omnes ad regnum aditus præclusi sunt φ).

L. Apud *Gothos & Sveones* qvi illegitimâ cognatione nati erant, perpetuo rubore suffusi vix audebant inter honestos comparêre, etiamsi regii filii fuissent. Inde factum ait Jo. Magnus χ), ut Amundi Regis, ejus, qvem ex concubinâ pater susceperat, origo silentio supprimi consveverint, & licet defectum natalium dispensâ sibi concubinâ pater, ipse summâ probitate redemisset, tamen perfectam à subjectis obedientiam nunqvam valuerit asseqvi. Nostrâ qvidem memoriâ Gustavo Adolpho Svecorum Regi non Gustavus nothus, tametsi primogenitus esset, & alias stirps mascula defecerat, sed Christina successit.

Non obstante vitio corporis. LI. Non tamen, ut generis, ita *corporis macula aut vitium* obesse debet primogenito. Ortâ post Codri *Athenarum* Regis mortem

κ) V[illegible] I. de [illegible] ep. 8. n. 13. λ) Judic. XI. v. 2. μ) lib. III. cit. Grot. not. ad [illegible] de J. B. [illegible] 7. § 12. ν) in Eliac. B[illegible] [illegible] I. Pe[illegible] p. [illegible] φ) Choppin. I. de D[illegible] Franc. [illegible] I. n. 2. [illegible] Dir. Phryg. ο) Arnis. I. Polit. 9. p. 23[illegible]. π) VII. de Rep. [illegible] n. 10 seqq. ϱ) c. XV. de Nobil. n. 10. seqq. & q. 34. de primogen. [illegible] 10. σ) [illegible] de [illegible] 3[illegible] τ) d. [illegible] υ) c. XVII. de Jure Pub. p. 104. [illegible] [illegible] fol. 74. Pet. Grego[illegible] d. l. n. 14. χ) XVIII. Histor. Goth. [illegible]

tem inter Neleum & majorem natu, ſed altero crure decurtatum, Medontem controverſiâ, Apollo conſultus oraculo Medonti regnum mandavit ψ). *Pannoniæ* Rex Vladislaus carebat liberis, ſed erant ipſi de fratre Geizâ nepotes duo, major Colomannus, ſtatu puſillus, lingvâ balbus, oculo luſcus, pede claudus, dorſo gibber; minor, ſed melior animo & corpore Almus. Hunc Vladislaus in ſpem regni adoptaverat, utq́ve firmior eſſet prælatio, Colomannum initiaverat ſacris, & procul à patriâ ſpecie ſtudiorum ablegaverat Lutetiam. Nihil tamen horum obſtitit Pannoniis, qvo minùs mortuo Vladislao jus primogenituræ pervicaciter in Colomanno revocato tutarentur ω).

LII. Diverſum *Perſis* placuit, apud qvos lege vetitum, ne captus altero oculo aut naſo auribusvè mutilatus, vel aliqvâ membrorum pravitate deformatus, Rex conſtitueretur. Atq́; hoc nomine Zames luſcus Coſroi fratri, qvem ætate anteibat, poſtpoſitus *a*).

LIII. Sed qvid, ſi primogenitum *inopia conſilii* deſpicabilem faciat? *Lacedæmonii* Cleomeni, Anaxandridæ regis filio, qvantumvis non ſatis eſſet compos mentis, nullum è fratribus cordatioribus, qvòd minores natu eſſent, prætulerunt *b*). Ita Johannes Maria, Jo: Galeacii *Mediolani* Ducis primogenitus, ante fratrem Philippum Mariam ad principatum pervenit *c*), tametſi dolebat pater, durâ lege (ſic vocabat) ſtolidos illius annos virtuti fratris anteferri *d*). *imbecillitate judicii;*

LIV. Talium ſanè non valde diſpar eſt cum *infantibus* cauſa, qvos tamen nulla gens à ſucceſſione excluſit, *ſi Moſchovitas* (cum paucis aliis) excipias. Nam horum legibus non modò patruus nepote (in illiâ celebri controverſia) ſuperior eſt impetrandi jure, verùm etiam, ſi caſus ferat, ut primogenitus regnum adeptus filium impuberem relinqvat, frater imperium excipit excluſo nepote. Id qvod Baſilii magni exemplo confirmat Bodinus *e*). *infantiâ;*

LV. Contrà, infantes ſceptris admotos memorare infinitos cùm poſſimus, unicum afferemus, in qvo ſimul ratio appareat explorandi primogenituram occultatam. Deceſſerat Ariſtodemus

 Lace-

ψ) Tiraq. q. 21. n. 13. è Pauſan. ω) Bodin. VI. de Rep. 5. f. 730. Lipſ. II. mon. Polit. 4. mon. 2. Tiraq. præf n. 6. *a*) Tiraq. q. 21. n. 17. & Briſſon. I. Perſ. p. 5. è Procop. *b*) Herod. Terpſ. Tiraq. præf n. 25. *c*) Albiz. ſtem. f. 42. *d*) Choppin. II. de Dom. Franc. tit. 2. n. 10. Arniſ. I. Polit. 9. p. m. 216. *e*) VI. de Rep. 5. f. 731.

Lacedæmonum Rex paulò post natos sibi ex Ægina conjuge geminos. Rogata mater, primogenitus uter esset, ignorare simulavit, qvòd speraret sic ambos Reges fore. Sed cùm imprudens indiciarum cibando lavandoq; Eurysthenem Procli (hæc puerîs nomina) constanter præferret, res prodita, Eurysthenes in regnum subvectus est *f)*.

nativitatis fortunâ privati. LVI. Porrò nec à *nascendi felicitate* rectè æstimatur jus primogeniti, neq; adeò negandum est illi, qvi natus sit *ante qvam g)* regnum adipisceretur pater, licet *post* adeptum alios susceperit. Sic in Germaniâ Otto I., qvanqvam non sine armis; in Galliâ Ludovicus XI.; in Hungariâ Geiza III.; in Judæâ Antipater Herodis M. filius; in Perside Artaxerxes Mnemon præhabiti sunt fratribus in regia natis fortunâ *h*).

LVII. Qvòd autem in eâdem Perside Xerxes Darii Hystaspis filius Artabazanem *i*) fratrem primogenitum *privato patris nomine*, qvem Artemenem vocat Justinus *k*), submovit in successione imperii: *aut* contemplatione stirpis maternæ *l*), qvâ avum habuit regni Persici conditorem Cyrum, ut in Sylvio Æneæ F. observatum est; *aut* potentiâ matris Atossæ magis qvàm jure *m*); *aut* denique ex liberâ controvertentium *n)* conventione factum dicemus. Non enim audienda est Bodini *o)* & aliorum apud Tiraqvellum *p*), etiam Arnisæo *q*) improbata ratio, qvia regnum Dario patri aliter, qvàm hæreditario jure obtigisset. Cæterùm, qvòd *Spartæ* qvoq; nati in regno præterebantur ante regnum natis, ex lege populi illius propriâ fuit *r*).

amissum culpâ. LVIII. Primogenitorum, qvi *suâ culpâ* privilegio exciderint, exempla sunt è profanis Robertus *s*) Gvilielmi Conqvæstoris, & Conradus *t*) Henrici IV. Imp. filii, à parentibus propter arma in se gesta

f) Herod. in Erato, & inde Tiraq. præf. n.39. aliter tamen Ma[illegible] Marin. p. m.190. Bodin. VI. de Rep. 5. f.734 [illegible] *g)* sic [illegible] Tiraq. [illegible] Arnis. Polit. 9. p.222 [illegible] VII. de Rep. 9. Dan. Ott. c. [illegible] p. [illegible] II. de J B 7. § 28 *h)* vid. Grot. d.l. Tiraq. [illegible] n. 14. 20. 21. [illegible] p.225. Bodin. VI. de Rep. 5. f.730.7[illegible] *i*) sic nominatur ab Herodoto init. Polymn. [illegible] II. c. [illegible] *l)* P[illegible] Greg. VII de Rep. 9. n. 15. *m)* H. Grot. II. de J. B. [illegible] *n)* vid. Justin. d. l. *o)* VI. de Rep. 5 f.710. *p)* [illegible] 31. n [illegible] *q)* [illegible] 222. *r)* [illegible] II. de J. B 7. §. 29 *s)* Arnis. p.285. ex Æmil. *t)* Tiraq. [illegible]

gesta regno exclusi; è sacris Ruben *u*), qvin &, qvi hunc seqvebantur proximè, Simeon & Levi, à qvibus gravissimè læsus pater, principatum ad qvartum filiorum Judam transtulit.

LIX. Sed cur Adoniam *x*) filium è superstitibus primum à regno Israëlis submovit pater, cujus tamen nullum facinus memoratur, qvam qvòd jus illud primogenituræ, jam sibi à patre denegatum tueri conatus est? Non placent hìc, qvæ profert è Baldo Tiraqvellus *y*); magis qvæ Grotius *z*), inqviens: *Erat regnum illud velut patrimoniale Davidi, non qvidem belli jure, sed DEI ipsius dono.* Hâc ergò donatione dicemus nos DEUM, præsertim qvem constet, Salomonis electionem ratam habuisse, simul facultatem Davidi indulsisse, regnum, cui vellet ex filiis, relinqvendi. Qvo pacto non ademtum fuerit Jus Adoniæ, qvod jam haberet, sed, ne qvod haberet, prohibitum.

LX. De posteris Davidis diversa videmus prodita. Nam Roboamus qvidem majores filios minori Abiæ in successione posthabuit *a*). Contra de Josaphato (in cujus nomine labitur Choppinus *b*), Osiam memorans) scriptum est: *Regnum tradidit Joram, eò qvod esset primogenitus c*).

LXI. Interim, uti non dubium est, mutari jus primogenituræ posse *ab absoluta majestate*, legislatoriam potestatem habente: ita *contra leges superiores* primogenitorum vel à parentibus, vel à fratribus tentata postpositio, nonnunqvam impedita à populo, sæpè exiliis, bellis, parricidiis repressa vel castigata, aut aliàs à DEO extra ordinem vindicata fuit, adeoq; rarò cessit prosperè. Id qvod exempla Cleomenis *d*), Numitoris, Ptolemæi Philometoris, Hircani, Nicomedis, Colomanni *e*), Craci, & aliorum primogenitorum ap. P. Gregorium *g*) & Bodinum *h*) docent. In Angliâ bellorum civilium inter Eboracensem & Lancastrensem familias diutissimè acerrimeq; gestorum prima origo fuit, qvòd Edmundo Henrici III. primogenito prælatus frater fuerat *i*). *Violari tentatum.*

LXII. Rursus neq; primogenitos jus suum *cum afflictione aut exitio* *usurpatum cum affli-*

---

u) Gen. XLIX. v. 3. & seqq. *x*) III. Reg. I. *y*) q. 21. n. [illegible] *z*) notis ad l. [illegible] J.B. 7. §. 25. Conf. Pet. Greg. VII. de Rep. 5. 6. 14. *a*) II. Par. XI. [illegible] *b*) [illegible] de Dom. Franc. tit. 2. n. 3. *c*) II. Paral. XXI v. 3. *d. e.*) de his & supra [illegible]. LIII. & LI. *g*) VII. de Republ. 7. & 5. *h*) VI. de Rep. 5. f. 729. 730. *i*) vid. Chopp. d. l. Albiz. Stemm. f. 16.

ctione fra- trum; *cum laude & gloria.*

exitio fratum conjungere decet. Neqve enim imitandos dixerimus Abyssinos, apud qvos regiis liberis, excepto uno, qvi imperat, arctissimæ inclusis, in perpetuo carcere vivendum *k*) Othomanicorum immanitas, qvi imperium ferè ab internecione fratrum auspicantur, ut omen dirum despuenda prorsus atq; execranda est.

LXIII. Qvæ toti orbi proponas imitanda exempla, magno numero suppeditat *Illustrissima Domus Saxonica.* Paucis tamen, atqve iis ab recentissimâ memoriâ erimus contenti. Qvanta fide primogenitum GEORGIUM HEINRICUS frater; qvantâ benevolentiâ AUGUSTUM MAURITIUS primogenitus prosecutus est! Qvanta inter CHRISTIANUM II. & JOHANNEM GEORGIUM I. gloriosissimæ omnes memoriæ Principes, viguit concordia! Reviviscunt hodiè (DEO sit gloria) Paternæ Majorumqve virtutes, & cum nominibus paria faciunt in Clementiss. Dominis nostris JOHANNE GEORGIO II. Dignitatis Septemviralis herede primogenito, Celsissimisq; Fratribus Saxoniæ Ducibus AUGUSTO, CHRISTIANO, MAURITIO. Verè hic impletum est illud Psalmographi *m*): *Ecce qvàm bonum & qvam jucundum, habitare fratres in unum!* Implebitur haud dubiè & qvod seqvitur: *Qvoniam illic mandavit DOMINUS benedictionem & vitam usq; in omne seculum!* Hoc provinciarum omnium, hoc in illis & nostrum votum est!

---

k) Arnis. I. Polit. 9. pag. 219. Alvares. Æthiop. c. 58. seqq.
m) Psal. CXXXII.

FINIS.